

370.937

K69d


J. J. van der Kloes ,

DE

PRAECEPTORIBUS IN RHETORUM  
SCHOLIS APUD ROMANOS.



te Utrecht & Protest.




mail  
Nijhof  
26 Jan '28

DISPUTATIO LITERARIA

DE

**PRAECEPTORIBUS IN RHETORUM  
SCHOLIS APUD ROMANOS.**



Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

DISPUTATIO LITERARIA INAUGURALIS,  
DE  
**PRAECEPTORIBUS IN RHETORUM  
SCHOLIS APUD ROMANOS,**

QUAM,  
QUOD DEUS BENE VERTAT,  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
**HENRICI EGBERTI VINKE,**

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORE-  
TICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS  
HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

*IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,*


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**JANUS JACOBUS VAN DER KLOES,**

*AMSTELAEDAMENSIS.*

A. D. XXIV M. FEBRUARII A. MDCCCXL, HORA II.



*Utrecht.*

**TRAJECTI AD RHENUM,**

EX OFFIC. PADDENBURGII & SOC.

MDCCCXL.





370.937

K69d

265a29 Fange

**CARISSIMÆ MATRI**

*sacrum.*

Education 59e28 Nijhoff

57709



## *Praefatio.*

---

*P*auca huic dissertationi meae praemonenda habeo. Sed pauca illa tristi atque aegroto animo scribere aggredior. Vix enim potest in nostrae Academiae annalibus annus reperiri, qui doctrinarum studiosis fuerit tam fatalis, tot tantisque cladibus insignis, ut cum praesenti conferri queat. Nullam omnino fortuna nobis vacationem dedit a gravissimis luctibus. Et enim HEUSDII, carissimi praeceptoris, obitum graviter molesteque ferentes novus dolor afflixit, ubi inopinato audivimus, Cl. HERINGAM subita morte de vita decessisse. Quantam discipuli in utroque viro fecerint jacturam, demonstrare equidem non suscipiam: hoc tamen pio animo profiteri liceat, haud mediocre nobis solatium afferri recordatione meritorum, quibus Academiae alumnis non tantum, sed toti adeo humano generi profuerunt. Vigebit igitur summorum virorum memoria, quamdiu verae eruditioni atque pietati suus honos habebitur. Verum, quasi parum esset, duo splendidissima Academiae lumina nobis esse erepta, tertia calamitas prioribus illis ad-

di-

*data est. Hoc enim ipso die tristissimus nobis allatus est nuntius, ALEXANDRUM CAROLUM GEORGIUM SUERMANNUM, V. Cl., vehementissimo morbo subactum, mortem cum vita commutasse. Paucos ante menses vidimus eum docendi provinciam auspicantem. Nunc omnium spem acerba mors fefellit. Carissimis parentibus, studiosae juventuti, patriae, praemature casu, ereptus est! O fallacem hominum spem fragilenque fortunam et inanes nostras contentiones, quae in medio spatio saepe franguntur et corruunt. Quid tandem vita habet commodi? Quid non potius laboris? ut non vita erepta SUERMANNO a Deo immortalati, sed donata mors esse videatur: ipsumque beatum praedicemus, qui omni turba ac colluvione terrestri liberatus, ad illud divinum concilium coetumque profectus est, in quo omni corporis vinculis relaxati, soli per se morerentur atque aeterni futuri sunt.*

*His piae defunctorum memoriae parentandum erat. Jam accedamus ad ea, quae praemonenda esse mihi visa sunt. Nolo hic conqueri difficultatem, quae diu me tenuit, quum eligendum esset argumentum, de quo dissertationem conscriberem. Nam cum pluribus eam mihi communem fuisse probe novi. Diu igitur dubius quum haesissem, quam mihi materiam tractandam sumerem, tandem praeceptorum monitis incitatus, id consilii cepi, ut accuratius, pro viribus, de Rhetorum scholis apud Romanos agerem. Continuo mihi hoc argumentum arridebat, quippe quod gravitate non tantum sese commendaret, verum etiam eo, quod arctissime cohaereret cum tota educatione, qua-*

*lis*

his apud antiquos fuerit. Quum autem aliquamdiu in veterum locis, qui ad res Rhetorum illustrandas faciant, colligendis versatus essem, plura acciderunt, quae me ad summos in literis honores, primo quoque tempore, ambiendos impellerent. Quamobrem procul dubio a proposito destituissem, nisi Cl. VAN GOUDOEYER auctor mihi exstitisset, ut rem semel susceptam non omitterem. Verum, quum magis magisque animadvertissem materiam nimis esse amplam, quam ut paucis mensibus posset absolvi, haec, quae jam lectoribus offero, tanquam specimen totius disquisitionis edere constitui, reliqua vero in aliud tempus differre. Neque me fugit in his, quae nunc edimus, plura desiderari: verum quae maturioris aetatis postulant eruditionem, in juvenili opere deesse facile ignoscet aequus ac benevolus Lector.

Et haec quidem praefanda mihi sufficerent, nisi piaculum esset hanc opportunitatem non arripere, ut debitas grates persolvam omnibus iis, qui de studiis meis bene sunt meriti.

In his primo loco vos appello, V. V. C. C., quorum egregia institutione in hac Academia usus fui. Quid pluribus laudes vestras commemorem? Tanta sunt vestra in me collata beneficia, ut pro meritis ea celebrare vires superet. Hoc velim vobis persuasum sit, nullam unquam diem gratam eorum memoriam ex animo meo deleturam esse. Tibi inprimis, Cl. VAN GOUDOEYER, plurima me debere alto pectore mihi infixum manet. Tu enim, quamdiu in hac Academia literis operam dedi, studiorum mihi dux et auctor fui-

*fuisti. Neque publica tantum institutione tua felicem praedicare me potui, verum privatis etiam monitis. Domus tua discipulo percontanti nunquam non patuit, semperque paratus fuisti ad optima mecum communicanda consilia. Quid? quod hoc ipso tempore, quo duplicis fere muneris oneribus oppressus es, semper tempus mihi habuisti e summis occupationibus ereptum, ut haec quoque scriptio haud sine tuis curis in lucem prodierit. Spero fore, ut mox operum tuorum socius tibi contingat: et confidimus, Doct. KARSTELUM, ad literas profitendas huc vocatum, Academiae nostrae ita profuturum esse, ut ejus gloriam tam apud populares, quam apud externos tecum conservet: quemadmodum HEUSDIVUS fecit, cujus desiderium lugent, semperque lugebunt grati praeceptoris discipuli.*

*Neque vestra etiam nomina reticere hic fas est, V. V. D. D. NIJHOFF et DORN SEIFFEN: qui, quamdiu in hac urbe versatus sum, summa humanitate me excipere, consilioque adjuvare nunquam recusastis. Gratias vobis pro hisce maximas publice ago, vosque, ut eadem pergatis benevolentia me prosequi, etiam atque etiam rogo.*


*Quoties autem recordor tempus, quod in schola Amstelaelamensi literis operam navavi, summa tristitia animus perfunditur. Optimos enim ibi praeceptores habere mihi contigit: sed eheu! duos in iis desidero, ZILLESENUM dico et GREVIUM: quos acerba morte discipulis atque amicis ereptos esse graviter omnes mecum dolent. Vos igitur, quos fatum superstites esse voluit, in juventutis salutem diu conservet Deus O.*

M. Unicuique vestrum permulta me debere lubens profiteor; te vero, Doctissime ΕΡΚΕΜΑ, summa mihi pietate colendum esse censeo. Vix enim quemquam cognovi, qui sibi discipulorum et venerationem et benevolentiam magis conciliare, eorumque animos adeo sibi devinctos retinere posset.

Tandem ad vos me convertito, optimi juvenes, quos plurimos, per septennium, in hac Academia studiorum gaudiorumque socios habui. Valet omnes: vos imprimis, quibuscum arctiore amicitiae vinculo conjunctus fui, ut antea, sic semper mei mementote.

*Scripti Traj. ad Rhen. a d. X. m. Febr.*

*Annì MDCCCXI.*










## Pr o ò e m i u m.



Verissimum est, quod apud Platonem (1) Socrates affirmat, neminem, nisi adjuvante natura, eloquentem fieri posse; neque minus verum, naturali facultati artis exercitationem accedere oportere, si quis probabilis orator existere cupiat (2). Haec vero non sunt ita accipienda, quasi nulla eloquentia ante viguerit, quam

(1) Phaedr. p. 269. C. Eandem sententiam apud Ciceronem tulit Crassus, de Orat., l. I. c. 25: » Sic igitur sentio, naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam.” Cf. id. l. I. c. 28, et Quinctil. Inst. Orat. Proëm. § 26.

(2) Quinctil. Inst. Orat. l. II. c. 17. § 12: » Orator esse, qui non didicit, non potest:” et l. II. c. 19. § 1: » Scio quaeri, naturane plus ad eloquentiam conferat an doctrina. — Consummatus orator nisi ex utraque fieri potest.” Cf. Cic. de Orat. l. I. c. 32.

quam rhetorica ars exculta esset: verum copiose ista ornatèque dicendi facultas, quae Ciceronis aetate in foro requirebatur, a rudibus istis temporibus longe fuit remota, quippe quae artis praesidiis minime carere posset. Ita factum est, ut artificioso huic dicendi generi e rhetorica arte incrementa redundarent, eoque majora, quo magis ipsa rhetorica excoleretur. Nam quemadmodum, ut Cicero ait, omnia ferre, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et divulsa quondam fuere, ut in musicis numeri et voces et modi; in geometria lineamenta, formae, magnitudines; in astronomia coeli conversio, ortus, obitus motusque siderum; in grammaticis poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus: sic quoque in hac ipsa ratione dicendi excogitare, disponere, ornare, meminisse, agere ignota quondam omnibus et diffusa late videbantur (1). Primi, qui apud Romanos extiterunt, oratores, totius rationis ignari, quippe qui neque exerci-  
ta-

(1) Cic. de Orat. l. I. c. 42, ad quem locum merito Schutz. notavit, vocem *ignota* male convenire; quae adeo loco suo movenda videretur, nisi constaret *ignotum* saepe opponi iis, quae *clara* et *perspicua* sunt, ut idem valeat atque *obscurum*; cf. Harles. ad h. l. Madvigius Schutzii conjecturam *infinita*, in not. ad ed. maj. propositam, probat.

tationis ullam viam neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione consequi poterant, consequerentur (1).

Idem quoque apud Graecos obtinuisse unicuique perspicuum est, qui vel leviter pristinam eorum attenderit conditionem. Quicumque enim populares anteibant auctoritate, corporis magis quam ingenii viribus dignitatem tuentes (2), ubi cum populo agendum esset, clara potius magnaue voce utebantur, quam meditata oratione, crebris insignita sententiis (3). Verum, ingeniorum cultu procedente, Graeci, pro ardenti, quo ducebantur, pulchri venustique sensu, artem adhibuerunt ad orationes suas, atque in pluribus, eloquendi facultate praecellentibus, exstiterunt, qui, quid sua sponte homines eloquentes faceret, quidque in singulis emereret, observarent. Haec studia ansam praebuerunt praeceptis bene dicendi colligendis: quibus in ordinem digestis, res dissoluta antea diffusaque conglutinata est et ratio-

(1) Cic. de Orat. I. I. c. 4.

(2) De hac pristina Graecarum gentium conditione cf. Clar. P. van Limburg Brouwer in opere, quod inscribitur *État de la Civilisat. mor. et relig. des Grecs*, T. I. c. III. p. 104 sqq.

(3) *Βονὴ ἀγαθός* frequens est apud Homerum oratoris epitheton.

tione quadam constricta (1). Sic apud Graecos sensim paulatimque ars quaedam rhetorica effloruit, quae dicendi praecepta contineret.

Quominus vero Romani eodem modo, duce natura, propriam quandam sibi conderent artem dicendi, prohibuit matura eorum cum Graecis conjunctio. Romani enim, ut domnandi fere studio ducebantur, ita sub regibus et primis etiam reipublicae temporibus belli laudes unice quaerebant; artes vero et disciplinas parum curabant, neque eo erant iidem pulcri sensu praediti, ut, quid in oratoribus admodum placeret, animadverterent, et imitari conarentur (2). Unde tamen non sequitur claros illi aetati suos defuisse oratores; nam Roma-

(1) Cic. de Orat. l. I. c. 32, 42; l. II. c. 57. Quinctil. Inst. Orat. l. II. c. 17. § 5, 9; l. III. c. 2. § 2 sqq., ubi » initium artis dedit *observatio*. Homines enim, sicut in medicina, quum viderent alia salubria, alia insalubria, ex observatione eorum effecerunt artem: ita, quum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum vitandunque.” Uterque et Cicero et Quinctilianus de origine rhetorices philosophati sunt: rem vero hic altius repetit, quam fecerat Cicero de Inv. l. I. c. 2 et de Orat. l. I. c. 3.

(2) De litterarum conditione apud Romanos ante bella Punica cf. imprimis doct. J. T. Bergmanni commentatio, quae reperitur in annal. Acad. Lugd. Batav., a<sup>o</sup>. 1816 — 1817.

manos primis jam temporibus proprium sibi quoddam coluisse eloquentiae genus, e funebribus orationibus patet, quas in laudes mortuorum habere solebant (1), quarumque nonnullae Ciceronis adhuc aetate exstabant (2). Neque admodum verosimile est, ratione habitae rerum gestarum, quas proditas invenimus, principibus istis viris, qui, regibus expulsis, sapienter ordinarunt rempublicam eamque consilio administrarunt, eloquendi facultatem defuisse, qua popularium animos vel excitarent vel componerent. Cicero quidem, etsi se de eorum meritis nihil scriptum legisse testatur, conjectura tamen ductus, suspicabatur in antiquissimis illis laudabiles fuisse oratores (3): et poterat, si reputemus, quae de plebis motibus, oratione pacatis, similibusque antiquae eloquentiae speciminibus relata novimus. Eas tamen laudes haud ita magnas fuisse, ipsa nos monet temporum, quibus inclaruerunt, conditio. Vivebant enim in civitate continuis bellis agitata; lingua utebantur parum exculta; praeterea eo maxime ferebatur gentis indoles, ut prompti magis essent ad agendum, quam ad inveniendum et excogitandum celeres atque pa-

ra-

(1) Classicus de hoc more locus exstat apud Polybium l. VI. c. 53. Ceterum frequens laudationum mentio fit ab antiquis.

(2) Cic. Brut. c. 16.

(3) Cic. l. l. c. 14.



rati. Horrido itaque et jejuno usi sunt dicendi genere, nullo artis ornatu illustri, quale homines decebat omni eruditione destitutos, quodque aptius erat ad imperandum, quam ad alliciendum conciliandamque accommodatius.

Ne vero durius hoc nostrum videatur de antiquissimis illis oratoribus iudicium, ad Cicero-  
nem et Quinctilianum provocare lubet: qui, non dico de his eorumve aequalibus, sed de iis oratoribus agentes, qui proxima aetate istis successerunt, Laelii, Africani, Catonis Gracchorumque adeo dicendi genera horridiora fuisse dicunt (1): licet pluribus probari possit veterum testimoniis, cunctos hosce Graeca humanitate quodammodo jam fuisse imbutos (2).

Verum enimvero mature Graecorum com-  
mer-

(1) Cons. Cic. Brut. c. 17, collat. c. 85 et passim. Idem Orat. c. 45 Catonis orationes *horridulas* vocat. Cf. imprimis Quinctil. Inst. Orat. l. XII. c. 10. § 10.

(2) De Catone, Graecis litteris operam navante, accuratissime egit doctiss. J. H. van Bolhuis, diatr. in M. Porcii Catonis Censorii scripta et fragmenta, p. 7 sqq., qui omnes omnino collegit veterum locos, quibus haec res illustrari queat. De Laelii et Africani eloquentia eorumque litterarum studio cf. Cic. Brut. c. 21 sqq. ibique interpp. Gracchos Graecos habuisse eloquentiae doctores auctor est Cicero, Brut. c. 27 et Plutarch. T. Graccho, c. 8. E recentioribus Romanae eloquentiae usque ad Caesares historiam tradidit F. Ellendt, in proleg. ad edit. Bruti, Regim. 1825.

mercium in rebus Romanis vim habere coepit. Nam quum, Pyrrho fugato Tarentinisque devictis, anno Urbis 484, plures hujus urbis incolae Romam migrassent (1), a principibus in civitate viris filiorum educationi praepositi sunt: quorum institutionem ita curarunt, ut sensim paulatimque verum litterarum amorem excitarent, nonnullorumque animos praepararent ad Graecae humanitatis ambitum melius percipiendum.

Sic praeparati Romani deinde majorem cum Graecis contraxerunt notitiam, quo tempore, bello cum Perseo finito, anno Urbis 586, Aethioli de sinu patriae erepti et magno numero in urbem evocati sunt, ut causam ibi defenderent, ac suspicione sese liberarent, quasi Regis partibus contra Romanos favissent (2). In quibus quum essent plures, qui praecipuas in urbibus suis dignitates obtinuerant, in consuetudinem et usum nobilium Romanorum recepti sunt, eorumque familiaritate hoc maxime effecerunt, ut Graecae elegantiae studium Romae magis magisque evalesceret. Alii, quum et ignavo otio torperent, et rebus necessariis, ut solent exsules, plurimum carerent, ad humaniora studia conversi, multis Romanorum ad  
ea-

(1) Oros. Histor. l. IV. c. 5. Zonar. Annal. l. VIII. c. 6. (2) Livii Histor. l. XLV. c. 31.

eadem suscipienda hortatores exstitisse videntur (1).

Illos autem statim, postquam in urbem ad-  
venerant, scholas condidisse, in quibus Grae-  
cas artes disciplinasque juvenes discerent, non  
admodum credibile est; verum tum demum,  
quum diutius, quam fas erat, in urbe et per  
Italiam detinerentur, aliorum exemplum secu-  
ti, id consilii iniisse videntur. Nam, ut tradit  
Suetonius (2), Crates Mallotes, quem ab At-  
talo rege, sub annum fere Urbis 585, ad Se-  
natum missum esse legimus, quum adversa va-  
letudine a reditu arceretur, Grammaticae stu-  
dium in urbem intulit primusque eam artem  
publice professus est. Huic vero Suetonii te-  
stimonio non obstant, quae de ludis litterariis  
apud Livium aliosque (3) tradita invenimus.  
In his enim pueros ultra primas litteras non  
esse progressos, recte judicat Wowerus (4);  
qui idem censet, Spurium Carbilium, quem  
memorat Plutarchus (5), ab iis, qui praeces-  
serant, eo tantum nomine diversum fuisse,  
quod

(1) Cf. Casaub. ad Sueton. de clar. Rhet. c. 1.

(2) De Illustr. Grammat. c. 2. Cf. Lyndenus de  
Panaetio, p. 18.

(3) Livii Hist. Histor. l. III. c. 44, Dionys. Halic.  
Ant. Rom. l. XI. c. 28.

(4) De Polymath. c. 4.

(5) Quaest. Rom. 54.



quod paulo majore arte in pueris instituendis usus sit (1).

Eodem fere tempore, quo Crates, vel paulo certe post eum, Rhetores quoque publice Romae prodiisse videntur (2). Prima eorum mentis exstat in Senatusconsulto, quod, anno Urbis 592 latum, integrum nobis servavit Suetonius (3): » *C. Fannio Strabone, M. Valerio Messalla Consulibus, M. Pomponius praetor Senatum consuluit. Quod verba facta sunt de Philosophis et Rhetoribus, de ea re ita censuerunt: ut M. Pomponius praetor animadverteret, curaretque, ut ei e rep. fideque sua videretur, ut Romae ne essent.*” (4)

Quominus vero patrum auctoritas eam haberet vim, ut totum exstingueretur Graecae eruditionis studium, fecerunt philosophi illius aetatis nobilissimi, Carneades, Diogenes et Critolaus. Hi enim, anno Urbis 598, quum Romam legati missi essent (5) ab Atheniensibus, ut

(1) Wower. de Polymath. c. 4.

(2) Sueton. de Clar. Rhetor. c. 1: » Rhetorica quoque apud nos, perinde atque Grammatica, sero recepta est.” (3) l. l. c. 1.

(4) Idem Senatusconsultum memoratur a Gellio, Noct. Att. l. XV. c. 11, quo tamen loco vocem *Latinis* ejiciendam esse recte judicarunt interpretes. Cff. porro Athen. l. XIII. p. 610 F, et Senec. Consol. ad Helv. c. 10.

(5) Plura de hac legatione suppeditabunt, quos citat

ut remissionem impetrarent mulctae, quam ob Oropum vastatam ipsis Senatus imposuerat, dicendi sua facultate, quemadmodum declarat Aelianus (1): *» εἰς τοσοῦτον ἐνέτρεψαν τὴν σύγκλητον, ὡς εἰπεῖν αὐτοὺς· ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι πρεσβεύοντας, οὐ τοὺς πείσοντας, ἀλλὰ γὰρ τοὺς βιασομένους ἡμᾶς δρᾶσαι, ὅσα θέλουσιν.*” Neque vero unumquemque tantummodo e Senatoribus admiratione sui percelluerunt, verum etiam disputationibus, quas ostentandi gratia magno hominum conventu habuerunt (2), universo populo probarunt, quantum prodesse posset ars, dummodo ingenio natura ad dicendum apto recte adhiberetur. Tanta illi persuadendi facultate erant praediti, ut Cato Censorius, audito Carneade, quam primum eos dimittendos esse censeret, quum, illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset (3).

Maximos igitur in arte dicendi Graeci fecerant progressus, quo tempore Romani non nisi le-

tat R. Kuehnerus, in Comment. de Ciceronis in philosophiam ejusque partes meritis. Hamb. 1825, p. 9 not. 6.

(1) Var. Histor. l. III. c. 17.

(2) Gell. Noct. Att. l. VII. c. 14, Plut. Cat. Maj. c. 22. Gellii locum totum descripsit Macrobius, Saturn. l. I. c. 5.

(3) Plin. Hist. Nat. l. VII. c. 31. Idem quoque tradidit Plutarchus, loco, quem modo attulimus. Cf. Lydenus l. I. p. 25 sqq.

leviter eam attigerant. Nec mirum: nam quatuor jam seculis ante in Sicilia prodierant Corax et Tisias, quos primos fuisse artium scriptores tradit Quintilianus (1). Non referam, quanta incrementa rhetorica ceperit a sophistis, qui eadem illa aetate per totam fere Graeciam exstiterant. Hi enim nullum genus disputationis a se alienum putantes (2), arrogantibus sane verbis docere se profitebantur, quemadmodum caussa inferior dicendo superior fieri posset (3). Neque pluribus demonstraverim, quan-

(1) Inst. Orat. l. III. c. 1. § 8. Cf. omnino Sext. Empir. adv. Mathemat. p. 370, qui multo magis audiendus est, quam Diogen. Laërt., de vit. et plac. philosoph. l. VIII. § 57, qui Aristotelem scripsisse ait in libro *σοφιστικῶν* nomine inscripto, Empedoclem Rhetorices fuisse inventorem. Satis enim probavit Clar. Geel, in Hist. Crit. Sophist., quae reperitur in N. Act. Litt. Societ. Traj. P. II., Empedoclem Corace minorem aetate fuisse, Sect. II. c. 1. § 1. Putat autem Westermann., Gesch. der Bereds. T. I. § 29, 3, verba Sexti, quocum consentit Quintilianus, l. I. scribens: »Empedoclem primum aliqua movisse circa Rhetoricen,» accipienda esse de methodo, quam in docendo secutus sit ille philosophus. Ceterum de Corace et Tisia ex ipsis fontibus accurate egit Westermann, l. I. § 27 sqq.

(2) Cic. de Orat. l. III. c. 32.

(3) Cic. Brut. c. 8, Gell. Noct. Att. l. V. c. 3, Aelian. Var. Hist. l. II. c. 13.

quantopere eam informaverit Isocrates, qui, quum confusam accepisset dicendi exercitacionem, primus, disserendi subtilitate et naturae obscuritate relicta, ad orationes civiles se contulit, et in ea materia constanter elaboravit (1). Eloquentiae pater a Cicerone (2) appellatus est, cujus domus cunctae Graeciae quasi *ludus quidam* patuit atque *officina dicendi* (3), cujusque e ludo tanquam ex equo Trojano meri principes prodierunt (4). Praestantissimos igitur discipulos habuit in omni studiorum genere, idemque discipulorum, qua pollebat, nobilitate Aristotelem quoque excitavit, ut artem oratoriam tradere, scriptisque eam illustrare inciperet (5). Illius autem opera ac studio opus περὶ Ῥητορικῆς conscriptum est, ex quo de Graecorum in hac arte progressibus judicari potest.

Ad

(1) Dionys. Halic. de Isoer. c. 1: » Πεφυρμένην δὲ παραλαβὼν τὴν ἄσκησιν τῶν λόγων ὑπὸ τῶν περὶ Γοργίαν καὶ Πρωταγόραν σοφιστῶν, πρῶτος ἐχώρησε ἀπὸ τῶν ἐριστικῶν τε καὶ φυσικῶν ἐπὶ τοὺς πολιτικούς, καὶ περὶ ταύτην σπουδάζων τὴν ἐπιστήμην διέτέλεσεν.' »

(2) Cic. de Orat. I. II. c. 3.

(3) Id. Brut. c. 8.

(4) Id. de Orat. I. II. c. 22. Cf. Id. Orat. c. 13, ubi haec verba leguntur: » Plato, exagitator omnium Rhetorum, hunc miratur unum.' »

(5) Cic. de Orat. I. III. c. 35, Quinct. Inst. Orat. I. III. c. 1. § 14.

Ad magnum igitur perfectionis gradum rhetorica apud Graecos pervenerat, licet corruptelae jam hic illic apparuissent initia, quo tempore Atheniensium legati in urbem profecti sunt: unde facile patet, quantos fructus ad dicendum Romani ab iis percipere potuerint. Neque tamen ideo continuo Rhetorices studia in urbe effloruerunt. Vehementer enim obstabat nimius antiquitatis amor, Romanis prae aliis gentibus insitus: praeterea verebantur principes in civitate viri, ne una cum Graeca institutione Graeci mores inducerentur, qui pristinam opprimerent severitatem et morum simplicitatem. Quibus fortasse metus accedebat, ne ex infima etiam plebe homines existerent, dicendi facultate praediti, qui juris aequabilitatem defenderent, atque, hisce innixi praesidiis, patriciorum potestatem frangerent.

Parva igitur Romae Rhetorices fuere initia, neque magnopere publicarum scholarum numerus crescere poterat; quum alii domi privatos magistros liberis praeponerent; alii vero ipsi filiorum institutionem curarent; alii denique in ipsam Graeciam filios erudiendos mitterent. Haec omnia, quum postea elegantiora studia promovisse censenda sint, diu tamen ea Romae retardarunt. Contra, judiciorum ratione melius ordinata, oratoribus latior campus os-  
ten-



tendendae eloquentiae aperiebatur. Tum enim non tantum in senatu et coram plebe artis praecepta ad vitae communis usum adhibere poterant, sed etiam causas privatas coram iudice disceptabant; quae juris certamina, ut apud Graecos, sic quoque apud Romanos, maximam vim habuerunt ad rhetorices studia promovenda, propterea quod oratorem multis rebus adstrictum tenere solebant, quibus in dicendo sese accommodaret (1).

Quum vero deinceps Graecorum consuetudine plurimi Romani bonarum litterarum fructus et suavitatem ultimis labiis degustassent, Censores prohibere non potuerunt, quominus Latini etiam Rhetores in urbe scholas aperirent. Nam quum frequens juvenus ad eorum ludos conveniret, totosque ibi desideret dies, anno Urbis 662, tollere edicto eos non potuerunt (2).

Pau-

(1) Unde non defuerunt, qui *προξί*, rostris, *ἀγορᾶ*, foro, clepsydrae, sim.que rhetorice originem debere dicerent. Vid. hac de re doct. A. S. . . . . r, in Symbol. Theol. T. VII. q. 287.

(2) Edictum memoravit Suetonius, de Clar. Rhet. c. 1. Continebatur hisce verbis: » Cn. Domitius Aenobarbus et L. Licinius Crassus, Censores, ita edixerunt: *Renuntiatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt: ad quos juvenus in ludum conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetores: ibi homines adolescentulos totos dies desiderere.*

Ma-

Paulatim enim artis utilitas atque honestas pluribus apparuerat, multique eam praesidii causa et gloriae appetebant (1).

Haec habui, quae *de rhetoricorum studiorum principiis apud Romanos* praemitterem. Sub illud tempus, quo edictum censorium promulgatum fuit, commode initia statui possunt illius disciplinae scholasticae, cujus nunc rationem sumus exposituri. Inde autem historiam incipiens, non tamen nego ante illud tempus fuisse hunc illumve rhetorem, qui scholam Romae habuerit. Sed quoad historica testimonia permittent, historiam illam usque ad Hadriani tempora persequar. Verum in tanta argumenti gravitate dici vix potest, quam parum adjumenti ad accuratam hujus rei historiam contexendam cum veteres tum recentiores

*Majores nostri, quae liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consuerunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere.*" Eandem rem apud Cic. de Orat. l. III. c. 24 confirmat Crassus, qui rhetorum institutionem *ludum impudentiae* appellare non dubitavit. Cff. Auct. Dial. de Orat. c. 35, et Gell. Noct. Att. l. XV. c. 11, qui idem Censorium edictum retulit.

(1) Sueton. l. l. c. 1.

res scriptores exhibeant. Quam ob rem nemo paulo prudentior postulabit, ut ad omnes, quae de his scholis proponi possint, quaestiones respondeam, quantum satis sit. Verum *in magnis voluisse sat est.*





# DISPUTATIO

DE

## PRAECEPTORIBUS IN RHETORUM SCHOLIS APUD ROMANOS.



### § I.

#### *Rerum pertractandarum distributio.*

In disquisitione de Rhetorum scholis haud alienum videtur, ut ante omnia agamus de iis, qui in his scholis docuerint, et de eorum discipulis. A praeceptoribus igitur initium facientes, singulatim exponemus primum de *gente*, ex qua oriundi fuerint, de variis Rhetorum *sectis*, de eorum *nominibus*; deinde inquiremus in *honoraria*, quibus variis temporibus ornati atque de *honoris loco*, quo in civitate habiti fuerint; postremo *celeberrimos* eorum breviter notabimus, et, quae de eorum rebus memorabilia visa fuerint, referemus.

B

§ II.

## § II.

*Ex quam gente oriundi fuerunt?*

Ex iis, quae in proëmio disputavimus, perspicuum est ante Ciceronis tempora Rhetores, qui Romanos docerent, Graecae fuisse originis. Neque tantum hi Graecae doctrinae gloriam conciliarunt, quamdiu in Romanis nemo esset, qui rhetorica praecepta traderet, verum diu post auctoritate Latinos Rhetores vicerunt. Quum enim, puero Cicerone, Plotius, primus Latinorum Rhetor (1), scholas aperiret, Ciceroni non licebat eum audire. Ipsius testimonium ex epistola ad M. Titinium scripta habet Suetonius: » Equidem, » ait, » memoria teneo, pueris nobis, primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse» (2). Qui locus uti docet meliora studia in Romanis illius temporis jam aliquatenus efferbuisse, ita

(1) Senec. Controv. l. II. praef.; Quinctil. Inst. Orat. l. II. c. 4. § 42.

(2) Sueton. de clar. Rhetor. c. 2.

ita simul ostendit Plotii exercitationes nonnisi tenuia disciplinae initia complexas fuisse (1). Nam, ne ad doctissimorum hominum auctoritatem provocem, qui Ciceronem puerum ad Graecum quam ad Romanum Rhetorem mitti mallent, Cicero ipse in scriptis suis haud semel significat, se in omni re litteraria Graecis primas tribuisse partes. Post Plotium vero plures celeberrimi nominis Rhetores Romanae originis prodierunt, in quibus eos, qui ex Gallia, Hispania et Asiaticis provinciis ortum ducebant, minime ultimo loco censi velim: quod infra clarius apparebit, quum nonnullorum nomina et res gestas notavero. Semper vero una cum Latinis Rhetoribus Graeci locum suum in urbe et provinciis tuiti sunt, ut celeberrimi quique viri, et Augustus adeo imperator, eorum institutione usi fuerint.

### § III.

#### *Variae Rhetorum sectae.*

Rhetorum variae fuerunt sectae. Quando eae exstiterint, haud facile dijudicari potest. Videntur autem potissimum e diversis, quas profite-

(1) Egregie cum his conspirat iudicium Grassi apud Cicer. de Orat. l. III. c. 24.

tebantur, sententiis originem duxisse, nisi forte favor, quo hunc illumve dicendi magistrum colerent, discentes impulerit, ut alii aliam sectam sequerentur.

De sententiarum quidem diversitate multum retulerunt antiqui. Sic magnam eruditorum discrepantiam fuisse discimus de rhetorices divisione. Plurimi quinque ejus partes esse statuerunt: *inventionem*, *dispositionem*, *elocutionem*, *memoriam*, *pronuntiationem* sive *actionem*. Hanc quoque divisionem Quinctilianus probavit: verum fuit Albutius, atque cum eo multi, qui *memoriam actionemque* ad artis rhetorices partes referri posse negarent, quippe quae natura non arte contingerent. *Actionem* ejusdem disciplinae partem esse negavit Thrasy-machus (1). De his igitur similibusque quaestionibus maxime inter se quaesivisse Rhetores videntur; atque inde sectae manasse. Augusti quidem tempore celebris secta fuit Apollodoreorum, ab Apollodoro Pergameno dicta, et Theodoreorum, qui a Theodoro Gadareo nomen habebant. Ut quodammodo perspiciamus, quibus de rebus scholae illae dissenserint (2), unum exemplum afferre lubet.

*Sta-*

(1) Quinctil. Inst. Orat. l. III. c. 3. § 1 sqq.

(2) Cf. Senec. l. II. Contr. 9. Quinctil. Inst. Orat. l. III. c. 3. § 8, c. 11. § 26, l. IV. c. 2. § 32.

*Status* sive *constitutio* in antiqua rhetorica vocabatur *quaestio*, ex qua causa nascitur (1). Ejusmodi status commode ad tria genera referri posse dixit Cicero in libris de Oratore, in prioribus scriptis aliam divisionem secutus. Sunt autem haec genera: *conjecturale*, *generale*, *definitivum*. » Ita sunt,» inquit, » tria omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere possint: 1. quid fiat, factum futurumve sit (h. e. *conjecturale*); 2. quale sit (*generale*); 3. quomodo nominetur (*definitivum*)» (2). Similiter Quintilianus negat, ullam juris disceptationem esse, quae non possit *fnitione*, *qualitate*, *conjectura* explicari. Hi vero praestantissimi viri neque sibi semper in hac divisione constiterunt (3), neque Rhetorum vulgus sibi habuere consentiens, cum alii unum, alii quinque, alii plures status sumerent. Sed Apollodoreorum, Theodoreorum aliarumque sectarum, Hermagorae etiam Theodori, de statibus sententias data opera memoravit Quintilianus (4).

In iis sectis, quae praeceptoris potissimum fama florere, ea censenda est, quae a Frontone nomen habuit. Fronto sub extrema Hadri-

(1) Cic. de Inv. I. I. c. 3:

(2) Cic. de Orat. I. II. c. 26.

(3) Quinetil. Inst. Orat. I. VII. c. 5. § 1, I. V. c. 13. § 8. coll. I. III. c. 6. § 33. (4) Ib. I. III. c. 6.

driani tempora floruit, mira facultate nobilis discipulorum animos sibi conciliandi. Is quoniam peculiari dicendi genere utebatur et fama praeter ceteros Rhetores multo nobilissima celebrabatur, novam eloquentiae sectam auspiciari visus est (1). Frontonianorum catalogum exhibet commentarius A. Maji, praemissus editioni operum inedit. M. Cornelii Frontonis P. I. pag. XXVII.

#### § IV.

#### *De nominibus, quibus Rhetores insigniebantur.*

Diversis Rhetores apud Romanos insigniebantur nominibus, partim a Graecis acceptis, partim a munere, quo fungebantur, desumptis, partim a loco, in quo docebant; et alia quidem cum aliis habebant communia, alia vero sibi propria reservabant.

*Rhetores.* Quemadmodum Graecis *ῥήτωρ* dicebatur, qui artem dicendi tradebat, vel ipse orationes habebat, ita utramque vim vox Latina retinuit. Cicero alicubi Graecorum vocem *ῥήτωρ eloquens* vertit (2). Sicut apud Graecos a voce *ῥήτωρ* verbum est *ῥητορίζειν*, ita in antiquissima Latinitate reperitur *rhetoricare*, quod Grae-

(1) Macrob. Saturn. I. V. c. 1. (2) Orat. c. 19.



Graecorum verbo respondet. Hoc enim habet Naevius apud Nonium c. 2. n. 742; deponens *rhetoricari* invenitur apud Tertullianum de resurrect. carn. c. 5 (1). Vocantur etiam *rhetoricae praeceptores* (2), et *rhetorici doctores* (3).

*Oratorum* nomine dicendi magistros dictos fuisse non apparet. Distinguuntur enim saepissime Rhetores et Oratores (4); verum quum iidem, ut alibi indicabimus, et Rhetores saepe essent et simul causas dicerent, de iisdem utrumque nomen usurpari potuit. Porro ab ea muneris parte, quae in fictis causis meditando (in *declamando*) versabatur, *declamatores* dicti sunt (5). Declamatio enim, ut ait Quintilianus (6), forensium actionum meditatio est; qui alibi declamationem consiliorum iudiciorumque imaginem appellat (7).

*Pro-*

(1) Cf. Nolten. lex. antibarb. p. 714 in voce.

(2) Sueton. Tib. c. 57.

(3) Cic. de Orat. I. I. c. 19, I. II. c. 18, 19.

(4) Senec. I. III. Contr. 16, Plin. I. IV. Ep. 11.

(5) Vox illa *declamare* Ciceronis tempore antiquior esse non videtur, cf. Meijer. ad Cic. Brut. c. 90. De frequentativo *declamitare* idem ex ipso Cicerone constat, vid. Brut. ibid. Per jocum tales homines *clamatores* vocat Cicero, de Orat. I. III. c. 34. Ceterum cum Quintiliano consentit glossator ad Petron. Satyr. c. 1: « declamatores, » inquit, « sunt, qui forenses actiones meditantur causisque fictis se exercent. »

(6) Inst. Orat. I. IV. c. 2. § 29. (7) Ib. I. II. c. 10. § 12.

*Professores; Eloquentiae Professores.* Sic dici coeperunt a *profitendo*, aetate Quinctiliani et Plinii; quanquam hoc nomen non unice iis tribui solebat, qui artem rhetoricam docebant, verum etiam de grammaticis aliarumque disciplinarum doctoribus usurpatum esse videtur (1). De Rhetoribus illud satis solenne fuisse discimus ex Plinii loco (2), ubi de Valerio Liciniano Rhetore verba faciens, nulla artis mentione facta, scribit: » Audistine (eum) — in Sicilia profiteri.” Latinorum voci *profiteri* respondere ἐπαγγέλλεσθαι Graecorum, quod sophistarum proprium erat, animadverterunt Lexicographi.

*Magistri; magistri, qui rhetorici vocantur; dicendi magistri; eloquentiae magistri; dicendi artifices et doctores* (3). Artifices a Cicerone et Quinctiliano saepius vocantur; quod vix tamen commune Rhetorum nomen crediderim. Plato λογδαιδάλους dicendi artifices vocat (4).

*Scholastici.* Schola (σχολή) otium notat. Notissima res est, antiquos tempus, quo a rebus pu-

(1) Sueton. de Ill. Gramm. c. 4, 9.

(2) L. IV. ep. 11. Cf. l. II. ep. 18.

(3) Cic. Philipp. II. c. 17; de Orat. l. I. c. 12; ib. c. 10; Quinctil. Inst. Orat. l. II. c. 5. § 5; Cic. de Orat. l. I. c. 6; ib. c. 32; Quinctil. l. XI. c. 3. § 112.

(4) Phaedr. p. 266. E.



publicis vacabant, praecipue literarum studiis impendisse. Inde otium literarium dicunt, et loca, in quibus literis operam navabant, scholae dicebantur. *Scholasticus* is erat, qui literis colendis tempus terebat. Hoc nomine appellabantur studiosi juvenes, qui in scholis dicebant (1): qua vi vocem Graecam *σχολαστικός* in Antonini de rebus suis commentariis (2) positam esse, notavit Gatakerus. Praesertim vero eo nomine dicebantur docentes, primum diversarum artium, tum vero rhetorices. Sic in Dial. de causis corrupt. eloquent. c. 35. » At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas *scholasticorum, qui Rhetores vocantur.*»

*Sophistae.* Sophista est, apud quem dicendi artificium discitur; cf. Juven. Sat. VII. vs. 165.

## § V.

### *De mercede Rhetoribus oblata.*

Varia hîc quaeri possunt: et primum quidem a quibusnam ea data, vel potius,  *fuerintne mercedes publicae an vero privatae.*

Diu apud Romanos Rhetores docuerunt sine ulla mercede publice iis concessa. Ita fiebat, ut, sicut artifices, artem suam pretio discen-

(1) Quinctil. Inst. Orat. l. XII. c. 11. § 16.

(2) L. I. § 16.

tibus venditarent. De Plutarchi loco, qui est in Quaest. Rom. (59): » ὁψὲ ἤρξαντο μισθοῦ διδάσκειν, καὶ πρῶτος ἀνέαξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπύριος Καρβίλιος ἀπελευθέρως Καρβιλίου τοῦ πρώτου γαμετῆν ἐκβαλόντος” difficilis quaestio est. Etenim ex Spurio Carbilio liberto memorato intelligitur, annum Urbis fere 600 designari, quo tempore disciplinas mercede tradere Romae non inaudita res erat. Itaque cum Wo-  
wero (1) peculiaris quaedam ars in Spurii institutione quaerenda est; aut statuendum, ante eum tale γραμματοδιδασκαλεῖον non in usu fuisse. Quidquid hac de re judicatur, privata Rhetorum illis temporibus merces erat. Conveniebat igitur parentes inter et Rhetorem de pretio, quo dato, liberos institueret. Quorum nomen celebrius erat, quorumque scholae magno discipulorum numero frequentabantur, eorum institutio majori pretio constabat. Inde enim explicandum esse Romanorum morem, pueros non continuo eminentissimo doctore tradendi, sed detinendi apud minores, quem con-  
queritur Quinctilianus (2), verosimile est. Non vero semper de mercedibus pacti sunt praec-  
ceptores atque parentes. M. certe Antonium Gniphonem nunquam hoc fecisse auctor est Suet-

(1) De Polymath. c. 4.

(2) Inst. Orat. l. II. c. 3. § 1.

tonius (1). Deinde praesertim a nobilioribus honoraria accipiebant, et a Senatoribus, quos fautores habebant. Usu enim venit, ut illi suo sumtu Rhetorem alerent, ad quem studiosa juvenus conflueret (2).

*De tempore, quo pecunia solvebatur*, parum constat. Dicebatur illud *Minerval*; quod sic dictum videtur a Minervae festo, quo discipuli magistro mercedem afferebant. Non enim Macrobiani tempore in Quinquatribus, qui in honorem Minervae, mense Martio, celebrari solebant, *Minerval* tantum praeceptoribus datum fuisse, antiquitas hujus nominis mihi evincere videtur (3).

Altera quaestio, quam hoc loco tractare operae pretium est, refertur ad *mercedis quantitatem*.

Si Juvenalem audiamus, privata haec merces tenuissima fere fuit. Is enim eam lautissimam dicit, quum habeant accipiantque tantum pecuniae, quo frumentum emere possint (4).

Ro-

(1) De Ill. Gramm. c. 7.

(2) Cf. Casaub. ad Sueton. Vespas. c. 18.

(3) Macrobiani Saturn. I. I. c. 12: "hoc mense (Martio) mercedes exsolvebant magistris." Bernhardijus, Grundr. d. Röm. Litt. p. 22, judicat Macrobianum h. l. de suo tantum tempore loqui, ejusque dicta de prioribus temporibus non valere.

(4) Sat. VII. vs. 171:

Romanis enim hoc moris erat, ut in balneis, villis aedibusque condendis nullis sumtibus parcerent, nec parci essent in epulis magnificentissimis habendis, sed institutionem liberorum suorum parum curarent. Et, si citharoedo pro una productione ducenta sestertia concedere non gravarentur, difficulter totidem Rhetori per annum concessissent (1). Pretium autem, quod

» Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt  
 Consilia, et vitae diversum iter ingredietur,  
 Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,  
*Summula ne pereat, qua vilis tessera venit  
 Frumenti: quippe haec merces lautissima.*” — —

(1) Juv. Sat. VII. vs. 229:

— — » Sed vos (parentes! scil.) saevas imponite leges,  
 Ut praeceptorum verborum regula constet,  
 Ut legat historias; auctores noverit omnes,  
 Tanquam unguis digitosque suos: ut forte rogatus,  
 Dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat  
 Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae  
 Anchemoli: dicat, quot Acestes vixerit annos,  
 Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas?  
 Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,  
 Ut si quis cera vultum facit: exigite, ut sit  
 Et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,  
 Ne faciant vicibus. Non est leve, tot puerorum  
 Observare manus oculosque in fine trementes.  
 Haec, inquit, cures, et, *quum se verterit annus,  
 Accipe, victori populus quod postulat, aurum.*”

Ex quo loco apparet disciplinarum praeceptores per totum annum non majus praemium consecutos fuisse, quam

quod Rhetores accipiebant, illud superabat, quod Grammaticis tribuebatur (1). Neque ommittendum est, Satirarum scriptorem harum rerum testem esse minus locupletem. Juvenalis enim, quum Sat. VII parentum avaritiam in iis, quae ad liberorum informationem pertinerent, perstringit, ea, quae de Rhetorum honorariis dicit, nonnihil exaggerasse censendus est. Hoc certe satis constat labem avaritiae non eum in modum Romanis adhaesisse, ut nulli omnino essent, qui doctores juventutis lautius tractarent. Ita enim Gniphonem novimus plura ex liberalitate discentium consecutum esse, quum nunquam de mercedibus pacisceretur (2). Porro de Antonio Cicero refert, eum S. Clodio Rhetori duo millia jugerum campi Leontini assignasse. Quod vero quam insigne donum visum fuerit illis temporibus, ex Ciceronis verbis colligi potest: » At quanta merces data est Rhetori? Audite, audite, P. C.; et cognoscite reip. vulnera. Duo millia jugerum campi Leontini S. Clodio Rhetori assignasti, et quidem immunia, ut populi

Ro-

quam una hora victoribus, h. e. iis, qui in ludis circensibus, vel in amphitheatro, vel in theatro vicerant, populi suffragio contingeret.

(1) Juv. Sat. VII. vs. 217.

(2) Suet. de Ill. Gramm. c. 7.



Romani tanta mercede nihil sapere disceres" (1).

Sed praeter tenuitatem mercedis accidit illis temporibus, quod ne nunc quidem ignotum est: *negligenter solvebantur debita, atque constituti pretii pars a servis abripiiebatur.*

In debitis mercedibus solvendis adeo negligentes erant discipuli, ut plures dicendi magistri, umbratilis vitae pertaesi, e scholis transirent ad forum, atque patroni fierent caussarum, quorum vita minus molesta et quaestuosior erat.

Deinde non ipsi parentes mercedem solvebant apud Romanos, sed fiebat hoc per dispensatorem sive servum, cui aeris cura demandata erat. Hic pecuniam tradebat paedagogo. Jam vero de horum servorum fide in tradenda hac pecunia, sic Juvenalis scribit, paullo ante de mercedum exiguitate conquestus:

— — — — — » et tamen ex hoc  
(Scil., quod grammaticus labor meruit)  
Discipuli custos praemordet Acoenonoëtus  
Et, qui dispensat, franget sibi" (2).

Ex illis praemorsibus paedagogi et dispensatoris fraudibus audacioribus haud raro lites coram iudice ortae esse videntur. Etenim in eadem Satira Juvenalis testatur:

» Ra-

(1) Philipp. II. c. 17.

(2) Sat. VII. vs. 216.

» Rara tamen merces, quae cognitione tribuni  
Non egeat” (1).

h. e. raro merces praeceptorum solvitur, ad quam non requiratur iudicium tribuni. Tribunus ille aerarius est, qui de levioribus causis rebusque pecuniariis cognoscebat.

Labente vero tempore *publica merces* rhetoribus concessa est. Vespasianus primus e fisco Latinis Graecisque Rhetoribus annua centena constituit (2). Hoc pretium valde exiguum esse pro illis temporibus liquet: nam Terpno Diodoroque citharoedis pro una productione data ducenta sunt: quam ob rem artes musicas Martialis (3) *pecuniosas* vocat. Verumtamen Medicis ducena saltem quinquagena annua merces fuit (4). Privatorum hominum dona his publicis mercedibus exclusae fuisse nullo modo apparet: quam ob causam illis temporibus plus lucri cum eloquentiae professione conjunctum fuisse videtur: nam (verosimiliter de temporibus post Neronem) scribit Suetonius: » Professorum adeo copia floruit, injecto magno hominibus studio, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem Senatorium atque ad summos honores processerint” (5).

In-

(1) Sat. VII. vs. 228.      (2) Suet. Vespas. c. 18.

(3) L. V. Ep. 56.

(4) Plin. Hist. Nat. l. XXII. c.

(5) De Clar. Rhet. c. 1.



Inter beatos illos, quibus ars opes afferret, fuit Quinctilianus. Hunc enim plures *saltus* habuisse legimus (1). Plinius quidem animo eum beatissimum, sed modicum facultatibus fuisse tradit (2); sed Plinius ipse ditissimus ita judicare potuit: quum tamen, si comparetur cum plurimis illius temporis Rhetoribus, satis opibus instructus esse potuerit. Quamquam, si vere dicam, hac de re ut satis compertum sit, multum abest. Nomen enim Quinctiliani apud Juvenalem pro Rhetore quocunque celebri inveniri, quis ignorat?

Eadem difficultate laborat quaestio *de honorariis, quae Rhetoribus, munere suo perfunctis, publice tribuebantur*. Ea in usu Quinctiliani et Juvenalis aetate fuisse probabile est. Hic enim loquitur alicubi de honorariorum rhetoricorum tenuitate, additque se ipsis auctorem esse, ut ipsi se *rude* donent: unde non temere efficias, eos publice rude donari jam tum consuevisse. Et, si Institutionum Oratoriarum consideremus exordium: » post impetratam studiis meis quietem, quae per viginti annos erudiendis juvenibus impenderam”, rogare impromptu est, cur hanc sibi quietem expetere debuerit, nisi ejus labor cum aliquo publico fructu esset conjunctus. Et quamvis de mu-

ne-

(1) Juv. Sat. VII. vs. 188.

(2) L. VI. Ep. 32.

nerum vacatione parum constet, legimus tamen Hadrianum » doctores, qui professioni suae inhabiles videbantur, dotatos honoratosque a professione dimisisse” (1). Mos post viginti docendi stipendia munera doctoribus publicis concedendi, quem non inepte Spaldingius a Romanorum consuetudine in stipendiis militariis tribuendis derivat, deinde in legem abiit; cf. Codex Justin. l. XII. tit. 15, de Profess., qui in urbe Constant.

## § VI.

### *Quo loco Rhetores habiti sint.*

Locus de honore, quo habebantur Rhetores, complectitur quaestionem *de ordine*, ad quem in civitate referebantur: item *aestimationem*, qua fruebantur pro diverso, quo praediti erant, ingenio et vitae genere.

Ple-

(1) Ael. Spart. in vita Hadrian. c. 16. De honorariorum ratione tempore sequentium Imperatorum cf. Jul. Capit. in vita Anton. P. c. 11: » Rhetoribus et philosophis per omnes provincias et honores et salaria detulit”. Ael. Lamprid. in vita Alexandri Sev. c. 44: » Rhetoribus, grammaticis, medicis, haruspicibus, mechanicis, architectis salaria instituit, et auditoria decrevit, et discipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari jussit.”

Plerique, non aliter atque Grammatici, libertinae conditionis erant, nobilis alicujus viri clientela utentes. Cujus rei argumentum nunc non afferam libertinae conditionis Grammaticos, a Suetonio citatos, qui iidem rhetoricam tradebant (1); nam, ut fuerint, qui diserte ab antiquis memorentur, inter Rhetores equestris ordinis viri (2), temporibus Augusti et quae proxime secuta sunt; plerique tamen libertini tum quoque fuerunt. Otacilius Pilitus, a Suetonio (3) memoratus, libertus erat Pompeji; Timagenes, dein Caesaris amicitia nobilitatus, servus erat (4). In censum omnino venit locus Senecae, ubi » Blandus,» inquit, » Rhetor, eques Romanus, Romae docuit. *Ante illum intra libertinos praeceptores pulcherri-  
mae disciplinae continebantur, et minime probabili more turpe erat docere, quod honestum erat discere*» (5). Ut vero non sine exceptione minoris ordinis homines rhetoricam profitebantur, ita post Plinii tempora Rhetores honore creverunt. Nam sub Caesaribus Romanis honestum et gloriosum esse coepit rhetoricam publica auctoritate docere, praecipue

(1) Suet. de Ill. Gramm. passim.

(2) Senec. Contr. l. II. praef.

(3) De Clar. Rhet. c. 3.

(4) Suidas voce, Senec. l. V. Contr. 34.

(5) Senec. Contr. l. II. praef.

pue extra urbem (1). De Quinctiliano, fueritne vir consularis necne, disputatur (2). Frontonem vero, Antonino Pio imperante, consullem fuisse constat.

*De aestimatione quaerentibus, qua gaudebant Rhetores, tenendum est, quod jam animadvertimus, plerosque artem suam exercuisse, ut haberent, de quo viverent. Ita nonnunquam evenit, ut eorum avaritia notaretur, quod non potuit non discipulorum vel parentum odium in eos excitare. Cum porro inferioris conditionis homines essent, a nobilioribus interdum contumeliose tractabantur. Orbilius librum, cui est titulus Perialogos, edidit, continentem querelas de injuriis, quas Professores negligenter ab ambitione parentum acciperent (3). Sed ex eodem, qui hoc narrat, scriptore patet, causam harum injuriarum*

(1) Cf. Perizon. praef. ad Aelian.

(2) Cf. Rupert. ad Juv. Sat. VII. vs. 190-194.

(3) Suet. de Ill. Gramm. c. 9; quem locum varie tentarunt viri docti. Burmannus pro *negligenter* ab ambitione *nec infrequenter* coniecit, vel *immerentes*, vel *non negligentes*. Legendum esse videtur *negligentia ac* ambitione. Quae conjectura commendatur, si consideremus, nonnullos libros manuscr. et editionem vet. variare in lectione vocis *negligenter*, pro qua alii habent *negligentiae*, alii *negligente*. Quenam autem illa parentum negligentia significetur, satis apparet ex iis, quae § 5 disputavimus.

rum non unice in parentibus sitam fuisse. » Fuit autem, » sic scribit, » naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit; sed etiam in discipulos, ut Horatius significat, *plagosum* eum appellans, et Domitius Marsus scribens :

*Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.*

Ac ne principum quidem virorum insectatione abstinuit, rell.” Neque magis in contemptu fuisse Rhetorum genus, ex Plinii loco, l. IV. ep. 11. effici potest; ubi legitur : » Praetor hic (Valerius Licinianus) modo inter eloquentissimos caussarum actores habebatur : nunc eo cecidit, ut exsul de Senatore, Rhetor de Oratore fieret. Itaque ipse in praefatione dixit dolenter et graviter : *Quos tibi, Fortuna, ludos facis? Facis enim ex Professoribus Senatores, ex Senatoribus Professores.* Cui sententiae tantum bilis, tantum amaritudinis inest, ut mihi videatur ideo professus esse, ut hoc diceret”. Animadvertendum est enim hic agi de uno Liciniano, qui relegatus ob incestum, Rhetor de Oratore factus fuerat (1). Et enim ipse Plinius alibi valde honorifice de Rhe-

to-

(1) Cf. Clar. J. R. Thorbecke, Comment. de C. Asinio Pollione, Lugd. Bat. 1820 p. 97.



toribus loquitur (1). Porro opportunitas eos injuria afficiendi non magna erat in iis, qui cives Romani essent: quo jure liberalium artium doctores, Romae artem profitentes, a Julio Caesare aliquando donatos esse novimus (2). Quin etiam nonnulli ab avaritia adeo fuerunt remoti, et liberalitate sua sese in animos discipulorum et parentum eum in modum insinabant, ut legum defensione non indigerent (3). Qua in caussa illustre exemplum est summi doctoris Alabandensis Apollonii, qui, quum mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos judicabat oratores non posse evadere, operam apud sese perdere, dimittebatque et, ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat (4).

Praeter avaritiam alia vitia Rhetorum suae aetatis notavit Quinctilianus » (Praeceptores)» inquit, » libenter detinent, quos occupaverunt, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius sit, quod pollicentur, partim etiam inscientia tradendi vel negligentia» (5).

In

(1) L. II. ep. 3. » Quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius.»

(2) Suet. in vita, c. 42.

(3) Suet. de Ill. Gramm. c. 7.

(4) Cic. de Orat. l. I. c. 28.

(5) Instit. Orat. l. XII. c. 11. § 14.



In Romanis Rhetoribus fuisse, qui res suas levius curarent, atque in hoc quoque hominum genere fuisse nonnullos arti suae minus idoneos vel impares (1), etiam sine antiquitatis testimoniis facile credimus.

Horum hominum vero ambitio in causa erat, cur prudentia adhibenda esset in liberis dicendi magistro tradendis. Facile enim hoc modo ceteri doctissimi Professores offendebantur, et simultates inde suscipiebantur: quod praesertim accidebat, si parens vel tutor, vel quicumque alius pueros ad scholas mittebat, celebris nominis vir esset. Hoc docent dicta Plinii, qui, cum Maurico Rhetorem quaereret, ei scribit. » Nec ignoro suscipiendas offensas in eligendo praeceptore. Sed oportet  
me

(1) Horum unum alterumque exemplum reperitur apud Quintilianum. Magni nominis Professorum aliquis, ut opinor, (haec fere scribit) interrogatus, quid esset *σχῆμα* et *νόημα*, nescire se quidem, sed, si ad rem pertineret, esse in sua declamatione, respondit. — Alius percontanti, Theodorus an Apollodorus esset? Ego, inquit, parmularius sum. — Hic nimirum ignorans eas esse Rhetorum sectas, et credens de gladiatoribus agi, parmulariis se favere declaravit. Haec interpretatio Gesneri est. Quamquam Quintilianus explicasse responsum hunc in modum videtur, quasi Rhetor se de his omnibus nihil scire velle tacite affirmasset. Nam addit » nec sane potuit urbanius ex confessione inscitiae suae elabi'' ; Inst. Orat. l. II. c. II. § 2.

me non modo offensas, verum etiam similtates pro fratris tui filiis tam aequo animo subire, quam parentes pro suis" (1).

Varia igitur ratione eos discipulos sibi conquisivisse, atque, ut eo pervenirent, egisse, quod minus honestum esset, ipsa rei ratio docet. Legimus, ne alia afferam, plures non tam institutionis bonitate, nec disciplinae severitate gloriam sibi et scholis suis celebritatem quaesivisse, quam turpiter eos hominibus adulatos fuisse, et, quod virtutibus non possent, ambitione effecisse (2). Et sane saepe evenisse credibile est, quod cecinit Horatius:

»Frater erat Romae consulti Rhetor, ut alter  
Alterius sermone meros audiret honores,  
Gracchus ut hic illi foret, haic ut Mucius  
ille" (3).

Denique, ubi de aestimatione, qua fruebantur juventutis doctores apud Romanos agitur, vix digna est, quae attendatur, parentum nonnullorum morositas, semper aliquid reprehendentium, et liberorum suorum stuporem in culpam Rhetorum vertentium. Festive hanc gregem exagitat Juvenalis, qui parum reputant,  
non,

(1) Lib. II. ep. 18.

(2) Dial. de Orat. c. 29.

(3) Horat. l. II. ep. 2. vs. 37.

non, ut e lapide aut trunco signum aliquod vel imago a statuario exsculpiri, ita ex omnibus, etiam tenuissimi ingenii pueris, paucorum annorum spatio, viros doctos effingi atque formari, neque ex quovis stipite pulcrum simulacrum edolari posse (1).

### § VII.

#### *Celeberrimorum Rhetorum nomina recensentur.*

Scio esse nonnullos, qui de Rhetorum rebus agentes, distributionem quandam assumant. Sic recentissimis de eloquentia apud Graecos et Romanos scriptoribus, viris longe doctissimis, placuit divisionem Rhetorum revocare, quam Quintilianus dixit antiquam, et pro antiquata videtur habuisse. Secundum eam tres statuuntur Oratorum classes, Attica, Asiana, Rhodia: totidem dicendi genera: totidem Rhetorum scholae. Divisio illa proficiscitur ex diverso genere eloquentiae, quod sive Athenis, sive in Asia, sive Rhodi magis sequebantur oratores. Atticos volunt pressos fuisse et integros, nihil superfluum admittentes; Asianos inflatos et inanes habent, iudiciumque iis

ac

(1) Cf. Juv. Sat. VII. vs. 158.

ac modum defuisse affirmant. Tertium denique genus Rhodium adjecerunt, quod velut medium atque ex utroque genere mixtum esse volunt. Qui hoc dicendi genus sectati sint, neque Attice pressos, neque Asiaticas abundantes fuisse. Cujus rei hanc causam afferunt. Aeschinem, a Demosthene victum, Rhodum petiisse Rhodiosque docuisse artem oratoriam. Itaque gentem illam Atticam recepisse eloquentiam; isto tamen coelo atque terra degeneratam.

Verum continuo in oculos incurrit istius divisionis incerta ratio. Quam ob rem idoneis hujus rei iudicibus inter antiquos minime satisfecit. Merito enim Quintilianus rogat, quis Atticus orator hoc modo dicendus sit? » Sit Lysias: hunc enim amplectuntur amatores istius nominis modum. — — Interrogare tamen velim, an Isocrates Attice dixerit? Nihil enim tam est Lysiae diversum. Negabunt. At ejus schola principes oratorum dedit. Quaeratur similius aliquid. Hyperides Atticus? Certe. At plus indulget voluptati (itaque, hoc enim vult Quintilianus, hic Atticus non erit Atticus, sed Asianus!). Transeo plurimos, Lycurgum, Aristogitona, et his priores Isaeum, Antiphontem: quos, ut homines inter se genere similes, differentes dixeris specie. Quid — — Aeschines? nonne his latior, et audentior,  
 et

et excelsior? Quid denique Demosthenes? non cunctos illos tenues et circumspectos, vi, sublimitate, impetu, cultu, compositione superavit? non insurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? non oratione ficta dat tacentibus vocem? non illud jusjurandum per caesos in Marathone ac Salamine propugnatores reipublicae satis manifeste docet, praeceptorem Platonem fuisse? quem ipsum non Asianum appellabimus, plerumque instinctis divino spiritu vatibus comparandum?" (1).

Quintilianus multus est in exemplis afferendis, quae ostendant discrimen, quod in divisione modo memorata sumitur, minime verae rerum naturae congruere: qui locus lectu dignissimus est. Nec immerito judicat falli eos, qui solos esse Atticos credunt tenues, et lucidos, et significantes, et quadam eloquentiae frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. Quam ob rem in clarissimis oratoribus, quorum nobis scripta fortunae benignitas servavit, multum haesitabimus, utrum eos ad Asianos an vero ad Rhodios referamus.

Divisio porro illa nullo modo Rhetorum res illustrat sive conspectum historiae ipsorum faciliorem efficit. Quintilianus jam tempore fuerunt, qui Ciceronem propter nonnulla loca, in qui-

(1) Quinet. Inst. Orat. l. XII. c. 10. § 16.



quibus concitatius dicendi genus adhibuit, ad Asianos referri vellent. Hoc scilicet perturbare est, non illustrare.

Denique plurimorum Rhetorum scripta aevum non tulerunt. Hos igitur in certas classes dispescere si voluerimus, circumspicienda erunt antiquorum testimonia, atque ancipiti horum judicio in re admodum ambigua fides erit tribuenda; ut eos taceam, quos ad certam classem relatos fuisse non reperimus. Quid multa? Divisio, quam memoravimus, quum primo loco idoneo fundamento careat, deinde per se inepta sit, porro inutilis, denique talis, quae ad plurimos adhiberi nequeat, — nulla opus esse videtur defensione, cur eam in recensendis celeberrimis Rhetoribus non simus secuti.

Primo igitur loco huc in censum veniat:

*C. Albutius Silus*, Novariensis. Sueton. de Clar. Rhet. c. 6. Non obscurus Professor atque auctor; Quintil. Inst. Orat. l. II. c. 15. § 36. — Porro:

*Apollodorus*, Pergamenus. Apolloniae praeceptor fuit Caesaris Augusti; Quintil. Inst. Orat. l. III. c. 1. § 17. Ille, Theodoro oppositus, praecipue in se studia convertit; cf. supra § 3. Veneficii reus ab Asinio Pollione defensus est, sed damnatus Massiliam secessit, ubi docuit; Senec. l. II. Contr. 13.

*Apollonius*, Alabandensis, cognomine Molon.



Vixit in insula Rhodo; Strab. Geogr. l. XIV. p. 655 et 661, Dionys. Halic. de Din. c. 8. Idem Romae aliquamdiu docuit; Cic. Brut. c. 89, Valer. Max. Memor. l. II. c. 2. § 3. Cicerero plus semel eum audivit; Brut c. 89, 90, 91, Quintil. Inst. Orat. l. XII. c. 6. § 7. Et plures Romani, ut Favonius, Servius Sulpicius, Lucejus; Caesar, Sueton. in vit. c. 4. Torquatus ex ejus disciplina profectus fuisse dicitur; Cic. Brut. c. 70. Multa de rhetorica scripsit; Quintil. Inst. Orat. l. III. c. 1. § 16. — Minime vero hic confundi debet cum Apollonio Alabandensi, qui a Strabone l. I. una cum nostro memoratur, atque ὁ μαλακός cognominatus fuit. Philosophiae eum non admodum fuisse, patet ex Cicerone, de Orat. l. I. c. 17: ad quem locum imprimis conferri meretur Henrichs., in edit. Cicer. p. 36. Vid. etiam Onomasticum Tullianum, voce *Apollonius*. Ejus liberalitatem supra p. 37 memoravimus.

*Arellius Fuscus*. Duo hujus nominis declamatores fuisse videntur; nam Seneca Rhetor passim de Arellio Fusco et de Arellio Fusco patre loquitur. (Filiū intelligi putant, Plin. Hist. Nat. l. XXVIII. c. 12; qui item Rhetor erat, et a Seneca laudatur, l. I. contr. 6.) De patre haec leguntur apud Senecam, Contr. l. II. praef.: » Erat explicatio Fusci Arellii splendida quidem, sed operosa et implicita:  
cul-

cultus nimis exquisitus: compositio verborum mollior, quam ut illam tam sanctis fortibusque praeceptis praeparans se animus pati posset. Summa inaequalitas orationis, quae modo exilis erat, modo nimia licentia vaga et effusa; principia, argumenta, narrationes aridae dicebantur. In descriptionibus extra legem omnibus verbis, dummodo niterent, permissa libertas. Nihil acre, nihil solidum, nihil horridum. Splendida oratio, et magis lasciva quam laeta.”

*Attejus Philologus*, libertinus, Athenis natus. Virum multiplici variaque doctrina fuisse, ejus commentarii, teste Suetonio, docebant. Sallustio familiaris fuit, eoque defuncto familiariter coluit Asinium Pollionem. Hujus nobilissimi Aisini Pollionis de Attejo dicta, aliaque ad eundem pertinentia servavit Suetonius, de Ill. Gramm. c. 10.

*L. Cestius Pius*. Desiderari non debet in hoc catalogo: nam aliquando discipulorum et vulgi judicio celeberrimus ille Ciceroni adeo praepositus est; Senec. Exc. Contr. l. III. praef. Ejus arrogantiae specimen refert Seneca, Suas. VII; qua factum est, ut, quum aliquando Ciceroni objecisset eum litteras nescire, a M. Tullio filio acriter verberibus exceptus sit. — Graecus cum esset, Latine semper declamabat; Senec. l. IV. contr. 26. Saepissime ejus mentio fit apud Senecam. P.

*P. Clodius Quirinalis*, Arelatensis. Romae insigniter docuit; Hieronym. in Chron. Euseb. ad annum Chr. 46. Fuit in illis Rhetoribus, de quibus Suetonius in libro de claris Rhetoribus scripsit: sed ea pars, ubi de Clodio Suetonius egerat, naufragio temporum periit.

*Demetrius* Syrus. Apud hunc » veterem et non ignobilem dicendi magistrum Athenis studiose exerceri” solebat Cicero; Brut. c. 91.

*Dion Chrysostomus*. Res gestas hujus viri ex ipsius orationibus aliisque antiquitatis monumentis descripsit H. Valesius, in Emendationibus, edit. Burmanni pag. 43 sqq. Plures veterum locos recensuit Westermann, l. l. T. I. p. 189 sqq. Praeter hos de eo conf. omnino Cl. Geelii ad Hasium epistola, Lugd. Bat. 1839. Prusae, in Bithynia, illustribus parentibus natus est. A Vespasiano, antequam imperium obtinuisset, in comitatum receptus, Romam eum secutus est, ibique pluribus ad eloquentiam excolendam auctor existit. Sub Domitiano urbem relinquere coactus, multas orbis regiones peragravit. Mox vero, mortuo Imperatore, Romam rediit, atque Nervae et Trajano carus, in urbe conuenit. Praeclaro ingenio praeditus, ad eloquentiam sese applicuit eamque conjungere studuit cum philosophia. Ut ipse testatur, in Ora-  
ti-

tionē XVIII, *περὶ λόγου ἀσκήσεως*, ad exemplar Hyperidis et Aeschinis informare se studuit.

*M. Cornelius Fronto.* Natione Libys fuit, patria Cirtensis. Carthagine, Athenis, Romae doctrinis liberalibus operam dedit. Imperante Hadriano, eloquentiae principatum in urbe tenuit. A teneris inde annis Aurelium et Lucium Veros, qui in spem imperii alebantur, instituisse videtur. Praeter hos plurimos adolescentes Latinam docuit eloquentiam multosque asseclas habuit, qui ab eo Frontoniani sunt appellati; vid. supra § 3. Vir fuit summa eruditione maximaque naturae lenitate conspicuus, quibus virtutibus magnam sibi in civitate auctoritatem conciliavit. Legimus enim eum, Antonino Pio imperante, consulatum gessisse. Plurima scripsit: quorum tamen librorum nonnisi exigua pars nobis servata est. Accuratisime de Frontone ejusque rebus egit A. Majus, in comment. P. I, quem oper. inedit. editioni praemisit.

*S. Julius Gabinianus.* Celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit. Scripsit de eo Suetonius; e cujus libro, quae diximus, servavit Hieronymus, in Chron. Euseb. ad annum Vespas. 8. Cf. auct. Dial. de Orat. c. 26.

*L. Junius Gallio.* De eo auctor Dial. de Orat., c. 26: » Malim hercule C. Gracci impetum aut L. Crassi maturitatem, quam cala-  
mis-

mistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. Adeo melius est oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire." Duo fuerunt Galliones. Cum Seneca Rhetore Gallio pater amicitia conjunctus erat, et hunc illum magni fecisse apparet. Cff. Senec. Contr. l. III. praef., Andr. Schott. de clar. apud Senecam Rhetoribus, p. 16.

*M. Antonius Gniphos*, in Gallia natus. Ingenii magni vir et singularis memoriae. Grammaticam et rhetoricam docuit; Sueton. de Ill. Gramm. c. 7; vide supra § 5. De hoc viro nuperrime fusius egit doct. J. A. C. van Heusde, in disquisit. de L. Aelio Stilone, p. 11 sqq., ubi conjecturam Schutzii, qui hunc Gniphonem Rhetoricorum ad Herennium auctorem esse putat, infringere studet.

*Gorgias*. Cicero filius illius institutione Athenis aliquando usus est, eumque in quotidiana declamatione utilem putabat, sed patris litteris diserte admonitus eum dimisit; ad Div. XVI. ep. 21. Hujus autem rei causam, a Cicero juveni non memoratam, refert Plutarchus, in vita Cicer. c. 24: » Γοργίαν τὸν ῥήτορα, αἰτιώμενος εἰς ἕδονας καὶ πότους προάγειν τὸ μειράκιον, ἀπελαύνει τῆς συνουσίας αὐτοῦ." Quod autem Cicero minor, ad Tironem scribens, *disertum patris monitum* dicit (verba ejus sunt: *διχρῆρῆδῆν enim [pater] scripserat, ut eum dimit-*



*mitterem statim; tergiversari nolui*), hoc ita accepit Plutarchus, ut acerbitatem et iram in illa epistola inesse dicat, inde repetendam, quod Gorgias Ciceronem offendisset, vilis quum esset et lascivus: » καὶ σχεδὸν αὐτῆ — — ἐν ὀργῇ τινι γέγραπται τὸν Γοργίαν αὐτοῦ προσηκόντως ἐπισκώπτοντος, εἶπερ ἦν Φαῦλος καὶ ἀκόλαστος" (ad quem locum cf. Ruhnkenius, in praefat. ad Rutil. Lup. p. 11). — De figuris libros Graece scripsit, ex quibus Rutilii Lupi de eodem argumento libri expressi sunt (cf. Ruhnken. l. I. p. 10).

*Hermagoras*, Temnius. » Rhetor celeberrimus, qui praecepta scripsit dicendi, expedita ad inveniendum, sed tenuia ad ornandum." Cic. de inventione l. I. c. 6 et 51, Brut. c. 76. Cff. etiam Quintil. Inst. Orat. l. III. c. 1. § 16, et Plut. Pomp. c. 42.

*Hermagoras*, item Temni natus, urbe Aeolidis. Theodori Gadarei auditor. Laudat ejus sententias Seneca pater, » quae auditorem diligentem penitus afficerent, securum transcurrerent." L. II. Contr. 14. Proxime Quintilianianae aetatem antecessisse videtur, nam secundum Suidam, in lexic. h. v., aetate proventus occidit; et Quintilianus de eo scribit: » Hermagoram sunt qui viderint." Inst. Orat. l. III. c. 1. § 18. Carion dictus est.

*Hiërocles*, Alabandensis. Genus dicendi sen-



tentiosum et argutum, quod concinnitatem et venustatem sectabatur, habuit Hiërocles, et magis etiam frater ejus Meneclès: quorum utriusque orationes, judice Cicerone, imprimis, ut Asiatico in genere, laudabiles sunt. Vixerunt illi temporibus L. Crassi oratoris et Ciceronis pueri. Cic. Orat. c. 69, Brut. c. 95, de Orat. l. II. c. 23.

*Isaeus*, Assyrius. Philostr. Vit. Soph. l. I. c. 20. In celeberrimis fuit Graecae eloquentiae doctoribus, qui Romae docuerunt. Multus est in ejus laudibus efferendis Plinius, l. II. Epist. 3.

*M. Porcius Latro*, Hispanus. Senecae Rhetoris sodalis fuit carissimus, Contr. l. I. praef.; qui taedio duplicis quartanae semet interfecisse fertur; Hieron. in Euseb. Chron. ad annum Aug. 40. Unicum declamatoriae virtutis exemplum vocat eum Seneca, Contr. l. IV. praef. Primus clari nominis Professor audit apud Quinctilianum, Inst. Orat. l. X. c. 5. § 18; clarus inter dicendi magistros apud Plinium, Hist. Nat. l. XX. c. 14. Tanto studio discipuli eum prosecuti sunt, ut summos in civitate oratores ei postponerent; quod Cestio quoque contigisse scribit Seneca, Exc. Contr. l. III. praef. Neminem declamantem audire volebat. » Declamabat autem ipse tantum, et aiebat se non esse magistrum, sed exemplum. Nec ulli alii contigisse scio, quam apud Graecos

cos Nicetae, ut discipuli non audiri desiderarent, sed contenti essent" magistrum audientes. Unde discipulos ejus *auditores* vocari solitos fuisse, tradit Seneca, l. IV. Contr. 25.

*Menecles*, Alabandensis. Cf. Hierocles.

*Menippus*, Stratonicensis. De eo Cicero: » meo judicio tota Asia illis temporibus disertissimus"; Brut. c. 91.

*Nicetas*, Smyrnaeus. Ad Nervae Imperatoris aetatem usque floruit. Vitam ejus descripsit Philostratus, Vit. Soph. l. I. c. 19; cf. etiam Suidas, v. Νικ.. Plinius eum audivit, l. VI. Ep. 6. Graece declamavit. Cff. Auctor Dialog. de Orat. c. 15, et, quae de Latrone diximus.

*Pammenes*. » Graecorum longe eloquentissimus, Demosthenis studiosissimus"; Cic. Brut. c. 97, Orat. c. 30, Senec. l. I. contr. 4.

*L. Plotius Gallus*. De hoc vide, quae monuimus in Proöemio et § 2.

*M. Fabius Quintilianus*. Caligurri in Hispania natus est. A Galba Imperatore Romam deductus, diu ibi floruit. Primum causas egit; mox puerorum institutioni totum sese tradidit, eique per viginti annos operam impendit. Post impetratam quietem scribendo, sese applicuit atque celeberrimum rhetorices opus condidit, Institutionum Oratoriarum nomine inscriptum, quod multa continet digna, quae etiam nunc attendantur. Reliqua ejus scripta per-

ierunt. Res viri ex ipsis fontibus accuratissime elaboravit Dodwellus, in annalibus Quintilianeis, quae reperiuntur in edit. Quintil., quam curavit P. Burmannus. Cf. quoque Spaldingius in praefat. ad edit. Quintil., et passim in annot.

*P. Rutilius Lupus.* Vide, quae monuimus in Gorgia, et Ruhnkenium, in praefat. ad edit. Rutilii Lupi.

*M. Annaeus Seneca.* Viri vitam ipsius filius descripsit, ejusque initium ex Vatic. Ms. edidit Niebuhr., in Cic. fragm. cett., Romae 1820, p. 103 sq. Cordubae, in Hispania, natus est. Bellorum civilium furore ab urbe remotus quum esset, Ciceronem audire sibi non licuisse conqueritur, Contr. I. I. praef. Tiberii aetatem eum superasse, efficere voluit Niebuhr. (l. l. p. 104) ex Suas. II. Supersunt ejus Controversiarum Suasoriarumque libri, sed admodum mutilati: et quae non mutilata ad nos pervenerunt, adeo obscura sunt, ut viro ingenium satis lucidum defuisse dicas.

*Theodorus, Gadareus.* Vide supra §. 3. Se Rhodium vocari maluit; Quintil. Inst. Orat. I. III. c. 1. § 17. Studiose eum audivit, quum in eam insulam secesserat, Tiberius Caesar, cujus indolem egregie perspexisse videtur. Nam de eo Suetonius, in vita Tib. c. 57, scribit: » Saeva ac lenta natura ne in puero quidem  
la-

latuit, quam Theodorus Gadareus, rhetoricae praeceptor, et perspexisse primus sagaciter et assimilasse aptissime visus est: subinde in ob-  
jurgando appellans eum *πηλὸν αἷματι πεφυραμένον.*” Cf. Suidas v. Θεωδ.

*C. Valgius Rufus.* Quinctil. Inst. Orat. I. III. c. 1. § 18: » Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas; quorum diligentissimus in *tradendo Latine* fuit C. Valgius, *Graece Atticus.*”

*Votienus Montanus.* Patria Narbonensis fuit; Martial. l. VIII. epigr. 72. Seneca eum describit tanquam hominem rarissimi, etiamsi non emendatissimi ingenii, qui saepius eadem repetendo orationes suas corrumpere solebat: quam ob causam Scaurus eum » inter oratores Ovidium” vocavit. Adeo toto animo scholasticus erat (sunt verba Senecae, l. III. contr. 20), ut eodem, quo accusatus est die a Vinitio, decertaverit in Vinitii actionem, *sententias suas referebat* (quae verba, quippe a glossatoris manu profecta, qui vocem *decertaverit* explicare voluerit, delenda censeo). — A Tiberio relegatus in insulas Baleares, ibi mortuus est; Hieron. in Euseb. Chron. ad annum Tib. 14.

*L. Staius Ursulus,* Tolosanus. In Gallia celeberrime rhetoricam docuit; Hieron. in Euseb. Chron. ad annum Chr. 59.

In hoc catalogo conscribendo nimiam locorum citationem evitavi, quod ad loca, quae nihil praeter nomina continent, lectorem remittere taediosum est. Acquievimus in celebrioribus Rhetoribus recensendis (1), quamvis in

(1) Praeter hos celebres fuerunt :

*Acusilaus* ; Suidas, v. Ἀκούσ.

*Aeschines*, Milesius ; Cic. Brut. c. 95, Menag. ad Diog. Laërt. l. II. sect. 64.

*Aeschylus*, Cnidius ; Cic. Brut. c. 91 et 95, Plut. Cic. c. 4.

*Aesopus* ; Suidas, v. Αἴσ.

*Alexander*, Ephesius ; Strab. Geogr. l. XIV. p. 642.

*M. Antonius Liberalis* ; Hieron. in Chron. Euseb. ad annum Claud. 9.

*Atticus*, Pergamenus ; Strab. Geogr. l. XIII. p. 625.

*S. Clodius* ; Sueton. de Clar. Rhet. c. 5. Cf. Cic. Philipp. II. c. 17, ad Att. l. IV. ep. 15.

*Q. Curtius Rufus*. Vide nos in P. Clodio Quirinali.

*Damasus*, Trallianus ; Strab. Geogr. l. XIV. p. 649.

*Diodorus* uterque ; Strab. Geogr. l. XIII. p. 627.

*Dionysius*, Magnes ; Cic. Brut. c. 91.

*Dionysius*, Pergamenus ; Senec. l. I. contr. 4. Strab. Geogr. l. XIII. p. 625.

*Dionysocles*, Trallianus ; Strab. Geogr. l. XIV. p. 649.

*Epidius* ; Sueton. de Clar. Rhet. c. 4.

*Hybreas*, Milesius ; Strab. Geogr. l. XIII. p. 630, l. XIV. p. 660, Plut. Anton. c. 24, Senec. Rh. passim.

*Lesbocles* ; Senec. Suas. II.

*Lesbonax* ; Suidas, v. Λεσβ.

*Menedemus*, Cic. de Orat. l. I. c. 19.

*L. Otacilius Pilitus* ; Suet. de Clar. Rhet. c. 3.



in his plerumque Senecae iudicio fides habenda esset. De operibus consulto nihil hîc monere volui, quoniam disquisitio de his peculiaris scripti argumentum erit.

*Aurelius Opilius*; Suet. de Ill. Gramm. c. 6.

*Philostratus*, Alexandrinus; Plut. Anton. c. 80.

*Asinius Pollio*; cf. Thorbecke, de Asin. Poll. p. 100  
sqq.

*Potamon*; Suidas, v. Ποτ.

*L. Valerius Primanus*. Vide nos in P. Clodio Quirinali.

*Scopelianus*, Clazomenius; Philostr. Vit. Soph. I. I.  
c. 21, Suidas, v. Σκοπ.

*Timagenes*; Suidas, v. Τιμ., Thorbecke, l. I. p. 101.

*Timocrates*; Lucian. de Saltu 69.

*M. Tullius Tiro*. Vide nos in P. Clodio Quirinali.

*Virginus Flavius*; cf. Spald. ad Quinctil. Inst. Orat.  
I. III. c. 1. § 21.

*Xenocles*, Adramyttenus; Cic. Brut. c. 91.


*Zeno*, Laodicensis; Strab. Geogr. I. XII. p. 578, I.  
XIV. p. 660.

Plura qui Rhetorum nomina scire cupiat, adeat Westermanni op. laud., T. I. p. 187. n. 3. p. 188. n. 26 et T. II. p. 297. n. 25. Hic antiquiores secutus, accuratam magis Rhetorum, qui hac, quam tractavimus, aetate floruerunt, seriem exhibet. Nos his contenti sumus.





# THESES.



## I.

Divisio Oratorum, a Quinctiliano memorata (Instit. Orat. l. XII. c. 10. § 16), in Atticos, Asianos et Rhodios non est probanda.

## II.

Quod de Oratoribus dicit Cicero, Brut. c. 56: » in oratoribus illud est animadvertendum, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles" non tantum valet de omnium doctrinarum studiosis, verum etiam de iis, qui artibus operam navant.

## III.

Vere Doctiss. W. Rein, in libro, qui inscribitur das Röm. Privatrecht für Philologen, p. 15: » Ein dreifaches Element ist bei der Bildung des Römischen Volks und Staats nicht zu verkennen, ein griechisches, altitalisches und etruscisches."

## IV.

In peculiari singulis gentibus *indole* tribuenda historicum admodum caute versari oportet.

## V.

V.

Merito Polybius historiae scriptor habetur fide dignissimus.

VI.

Etsi Plutarchus in vitis Galbae et Othonis nusquam Taciti vel Suetonii mentionem facit, ex ipsis tamen eum profecisse verosimile est.

VII.

Perperam Köppenus (Anm. z. Homers II. A. vs. 122, coll. ejusdem lib. de vita et carminibus Hom. p. 135, vers. Belg.) negat, heroës apud Homerum humanitate eminuisse.

VIII.

Verissimum est Domitii Afri apud Quinctilianum judicium, dicentis: » Homeroj secundus est Virgilius: propior tamen primo quam tertio." Inst. Orat. l. X. c. 1. § 86.

IX.

Quam in libro *de animi tranquillitate* definitionem τῆς εὐθυμίας posuit Plutarchus, eam non constanter in hoc ipso libro tenuit.

X.

Egregie Plato (Theag. p. 122. B.): » οὐκ ἔστι περὶ ὅτου θειοτέρου ἂν ἄνθρωπος βουλευσάιτο ἢ περὶ παιδείας καὶ αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ οἰκείων."»

XI.

Verissime Xenophon (Memor. l. I. c. 2. § 39):  
» Φαί-

» Φαίην ἂν ἔγωγε μηδενὶ μηδεμίαν εἶναι παιδευσιν  
παρὰ τοῦ μὴ ἀρέσκοντος.»

## XII.

Prophetarum scholae apud Israëlitas aetate Samuelis, et ab ipso hoc viro, si minus conditae, certe auctae atque amplificatae sunt.

## XIII.

Qui primum post reges exactos Romae magistratus creati sunt, Praetorum nomen aliquamdiu proprium sibi habuisse, neque ullo alio insignes fuisse videntur.

## XIV.

Senatusconsultum, quod Plinius memorat (Histor. Nat. l. XXX. c. 1.), quo interdictum fuit, ne homo immolaretur, non ad publicas religiones, verum ad sacra privata pertinuisse censendum est.

---











3 0112 058752111

